

ipsis, sed in virtute regis nostri collocemus, qui nobis et bella monstrat et adjutoria ministrat et premia pollicetur. monstrat enim bella dicendo: ‚in mundo pressuram habebitis‘, moxque de adjutorii sui spe letificat, subdens: ‚sed confidite, ego vici mundum‘; premia vero pollicetur in verbis, que hodie proposuimus: ‚qui vicerit‘, inquit, ‚dabo illi sedere mecum in throno meo etc.‘ summa est enim et que nullis hujus vite laboribus, nullis hujus temporis passionibus compensari possit remuneratio, tante (233^b) illius majestatis consessio, quam ipse nobis, qui polliceri dignatus est, clemens et benignus largiri dignetur Jhesus Christus, Dominus noster.

4.

85. (233^b) Sermo in Pentecostes.

Assumpto corporaliter in celum mediatore Dei et hominum, quem diem proxime celebravimus, hodie Spiritus Sanctus in igneis linguis discipulis apparuit, verbum dans predicationis et ignem accendens caritatis, qui, sicut dicit Scriptura: ‚congregati erant pariter in uno loco, ita et eodem animo.‘ multitudinis enim credentium erat cor unum et anima una. congregati autem erant non ad voluptuose vivendum, sed ad assidue orandum. orantibus siquidem et unanimiter conversantibus mittitur Spiritus Sanctus, non desidiosis ac discordantibus. acceperant quidem et antea Spiritum Sanctum apostoli in remissionem propriorum delictorum, acceperant nichilominus in remissionem et retentionem peccatorum aliorum, quia diverse operatur, ita diversis modis accipitur unus atque idem spiritus.

Sed ideo hac die principaliter datur Spiritus Sanctus, quia his, quos replevit, caritatis infudit plenitudinem servilemque foras misit timorem. antequam enim hac die daretur Spiritus Sanctus, eo usque timidi erant et trepidi apostoli, ut aliquis eorum ad vocem ancille negaret, aliquis relicta sindone nudus aufugisset, omnes vero relicto eo fugissent. sed repleti Spiritu Sancto loquebantur et operabantur magnalia Dei, ita scilicet, ut, qui Deum negaverat ad vocem ancille, constanter Jhesum confiteretur coram Nerone; et qui relicta sindone fu-

3 Joann. 16, 33.

6 Apok. 3, 21.

13 Zu diesem Stück vgl.

Bernards Sermones de diversis, Nr. XIV (Migne 183, 574 ff.): De septem donis Spiritus Sancti contra septem vitia.

17 Frei nach Act. 2, 1.